



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni  
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De Thoma monacho, qui eodem modo fatuitatem fingeat. Caput XXXIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12718**

EVAGR. HISTORIAE

exiit. Idem Symeones à quibusdam visus est aliquando in domum meretricis intrare: qui ostio occluso, solus cum sola diu commoratus est. Deinde ostio reserato, abiit: atque undique circūspiciens, ecquīs eum videret, auxit magnopere suspicionem, adeò ut qui illum vidissent, meretricem ad se accerferent, ab eaque sciscitarentur, quid sibi vellet Symeonis ad eam introitus, tantique temporis mora, Iurat illa se inopia rerum necessariorum, triduò ante illum diem nihil gustasse præter aquam solam: Symeonem autem opsonia, & cibos, & vasculum quoddam vini ad ipsam secum apportasse, & occluso ostio apposuisse mensam, iussisse, ut cœnaret, seque illis saturaret epulis, quippe quæ abstinentia à cibo satis pressa afflictataque fuisset. Quæ cum illis narrasset, reliquias cibariorum, quæ attulerat Symeones, profert. Porro autem idem ipse Symeones, cum terræmotus, qui Phœniciam maritimam conquassavit, appropinquaret (quo quidem tempore Berytus, Biblum, & Tripolis gravissimas patiebantur ruinas) flagello manu sublato, columnarum, quæ erant in foro, complures cædebat, sic viceratus: consistite firmè, breui nanque estis salaturi. Itaque quoniam nihil ab eo temerè fieri solebat, illi, qui huic rei gestæ intererant, accurate animo notarunt, quas columnas sine verberibus præterisset: quæ certè non multò post terræ motus violentia concussæ corruerunt. Multæ aliæ res ab eo præterea gestæ fuere, quæ opere separato egere videntur.

*De Thoma monacho, qui eodem modo fatu-  
ritatem fingebat.*

*Caput XXXIIII.*

**P**ER id temporis Thomas quoque vitam austeram in Cœlesyria coluit, qui Antiochiâ profectus est, ut subdium, quod inde quotannis monasterio suo suppeditari solebat, acciperet. Ab ea quidem Ecclesia presbyter fuerat ordinatus. Hunc Anastasius, qui illam procurabat Ecclesiam, quoniam non rarò multum ei facebat molestiæ, in maxilla cædit. Quam rem illis, qui aderant, agrè ferentibus, dixit neque se ab Anastasio postea accepturum, neque Anastasium daturum. Quæ utraque ita acciderunt. Nam  
Anasta-

Anastafius post vnum diem mortem oppetijt: Thomas autem in hospitio infirmorum, quod fuit in Daphne Suburbio, dum abiret Antiochia domum, ad vitam immortalem migravit: cuius corpus conditum est in sepulchro, quod aduenis paratū fuit. Vbi verò vno & altero corpore in eodem sepulchro reposito, eius corpus, Deo post mortem illius maximum edente miraculum, illis superiectum fuit (nam ea corpora inde amota longèque depulsa fuere) homines sanctum illum admirati, rem significant Ephræmio. Itaque sanctissimum eius corpus cum solemnī celebritate ac pompa transportatur Antiochiam, ibique in cœmiterio sepelitur: cuius virtute pestis, quæ illic tum grassabatur, sedata est. Ad cuius honorem, Antiocheni diem festū quotannis ad nostram vsque ætatem agere non desierunt. Verum ad institutam historiã deinceps sermonē transferamus.

*De Mena Patriarcha, & miraculo quod ea tempestate in Hebræi puero factum est.*

*Capitulum XX XV.*

**A**Nthimo ex sedē Constantinopolitana vti supra dixi, eiecto, Epiphanius eū capessit episcopatū, Epiphaniō mortuo, successit Menas: cuius temporibus miraculum editum fuit planè memorabile. Vetus fuit consuetudo Constantinopoli, vt si quando multæ admodum particulæ puri & immaculati corporis Christi Dei nostri superessent, pueri imbuberes, qui scholas frequentabant, accerferentur, easque manducarent. Quod cum factum fuit, filius cuiusdam hominis, Hebræi quidem opinione, arte autem vitrarij, vnâ cum pueris versatus est: qui quidē parentibus percunctantibus ab eo causam moræ, respondit, vti res se habuit, seq; cum alijs pueris pariter comedisse. Hebræus bile, furore, & iracundia inflammatus, in clibanum ardentem, in quo vitrum formare solebat, puerū conijcit. Postquā verò mater puerū quæritans, reperire non potuit, passim per totam urbē ibat, Deum cū gemitu obtestans, & flebilibus lamentis se dedens. Triduò aut̄ post, ad ostiū officinæ viri sui cōsistens, luctu miserabiliter diuexata, noīe puerū cōpelat. Puer, matris vocē, vt agnouit è clibano respōsum dat. Mater, effractis foribus, intrò irrūpit: videt puerū in medijs carbo-

carbo-